xp̄i ſeruus non eſſem. Nec obſtat ꝙ in ꝯtrarium dici poſſet dilectꝰ
deo et hominibus. Nam id quod dicit apoſtolꝰ. Si hominibꝰ pla
cerem. hoc in ſenſu dictū ſcito, quo nonnunꝙ̄ homines ſumus non
angeli. Iuxta illud ſciant gentes quoniā hoīes ſunt. qḋ ad illum
referendū eſt intellectum quo dr̄. homo cū in honore eſſet. non in
tellexit. ꝯparatus eſt iumentis inſipientibꝰ. et ſimilis factꝰ eſt illis
Quod vero dictū eſt dilectus deo et hominibꝰ. ad illū eſt intelle
ctum referēdum. quo ſcd̄m mūdi ſapientē. hominū genꝰ arte et
rōnibus viuit. et quo ſcd̄m eos homo eſt animal rōnale. qḋ quidē
rōnale a mortalibꝰ ſepat exiſtēs nobis et dijs cōmune. Quid igit
miri ſiqs dilectus eſt deo et hominibꝰ in eo qḋ habet cū dijs cōe.
in eo quo etiā ſcd̄m doctrinam mundane ſapientie extendit ſe ſup
humana ad immortalia et diuina. Iā quodamō p differentiā hm̄oi
a mortalibꝰ ſepatus, et quodamodo deificatꝰ. cōcordat illud aug
de iohe euangeliſta. Nec eſt ſapientia que in cor hoīs nō aſcendit
et q̄uo aſcendit in cor iohannis. Dici pt̄ ꝙ iam homo nō erat. ſȝ an
gelus eſſe cepat. magis autē ꝯcordat dictū damiani qui dicit de
eodem. Deificatus deificantem intrauit in deum. Sed et mundi ſa
piens p̄miſſis in hoc etiā ꝯcordat ꝙ dicit. ꝙ hoīes dij fieri dicūt
ꝓpter virtutis excellentiam.

¶ Explicit octauꝰ liber de ꝯſolatōne theologie. Incipit liber no
nus ꝯtinens ꝯſolatōnum remedia oportuna ꝯtra illa turbatiua q̄
opponuntur delicijs et voluptati.

¶ Capitulum primum continēs conſolationes ſup carentia volu
ptatis et deliciaꝝ. ſeu vite voluptuoſe et delicioſe.

NOno principaliter quindecim triſtibꝰ ad ſupradictā
dn̄am ꝯſolatricem accedentibꝰ. primo omnium vnus
ex eis eidē de voluptatis et deliciaꝝ. ſeu vite volu
ptuoſe et delicōſe carētia nō ſine triſticia ē ꝯqueſtus.
at illa de puellis ſe ꝯcomitantibus vndecim p ipius
conſolatōne prouidit.

¶ I. CONSIDERATIO.

PRima itaq̄ȝ puella ad eundē triſtem ſic ait. O homo cur appe
tis non bona. de quoꝝ carentia triſtaris. Vis ſcire ꝙ illa non
ſint bona. Audi queādmod et ſupiꝰ ſoror mea īduxit illuſtrē Sene
cā hoͦ pulcre deducentē. Aut iſta inq̄t bona nō ſunt q̄ vocant. aut
hō felicior deo ē. q̄ em̄ nobis bona videt nō habȝ in vſu deꝰ. nec
em̄ libido ad illū. nec epulaꝝ lauticia. icredibile aūt ē bona deo
deeſſe. Hoc ip̄m argum̄tū ē bona nō eſſe q̄ deo deſunt. Adde ꝙ mlta
ta q̄ bona videt aīalibus ꝙ̄ hoī pleniora ꝯtingūt. Illa cibo auidiꝰ
vtunt. venere nō eque fatigant. virium illis maior ē firmitas. ſe
quit vt multo feliciora ſint hoīe. nam ſine neq̄cia, ſine fraudibus
degūt. fruunt voluptatibꝰ ſine vllo pudoris aut penitētie metu.

## II. CONSIDERATIO.

Secūda puella ſic ad triſtem ait Iam tibi oſtendit ſoror mea nō
eſſe bonas voluptates. ego tibi nūc oſtendaꝫ ꝙ ſint male. Au-
di ꝺ hoc p̄dictum illuſtreꝫ Senecā loquor. Quis inquit hoſtis in
q̄ꝫ ꝙ tam ꝯtumelioſus fuit ꝙ in quoſdam voluptateſ ſue. quidaꝫ ſe
voluptatibus mergunt. quib⁹ in cōſuetudinē adductis carere nō
poſſunt. ob hoc miſerrimū eſt quo eo ꝓuenerint vt illis que ſupua-
cua fuerūt facta ſunt neceſſaria. ſeruiunt itaqꝫ voluptatibus. non
fruunt. et mala ſua qꝺ maloꝝ vltimū eſt. amant. hec ille illuſtris
de voluptatum malicia. quā et nequiciā ex ſimilib⁹ effectibus vo-
cat illa ſolennis boetiana ꝯſolatrix ſic dicens. Quid de corpis vo-
luptatibus loquar. quaꝝ appetentia quidē plena ē anxietatis. ſa-
tietas vero penitētie. quantos ille morbos. ꝙ intolerabiles dolo-
res quaſi quendam nequicie fructū ſolēt referre corpibus. Quaꝝ
quidem motus quid habeat iocunditatis ignoro. triſtes vero eſſe
voluptatum exitus quiſquis reminiſci libidinum ſuaꝝ volet itel-
ligit. hec illa cui⁹ muſa ꝯſequēter idip̄m fere teſtatur in hec v̄ba
Habet hoc voluptas omnis. ſtimulis agit fruenteſ. apiūqꝫ par vo-
lantū vbi grata mella fudit. fugit et nimis tenaci ferit icta corda
morſu. Quid plura. Profecto muſe huic etiaꝫ princeps ille phoꝝ
areſtotiles videtur breui ſermunculo ꝯcordare. Penitudie inquit
replentur praui. mox em̄ triſtantur qꝺ prius delectati ſunt.

## III. CONSIDERATIO.

Tercia puella triſtem p̄miſſa ex cauſa ꝯtriſtatum ſic alloquit.
voluptuoſam ſeu delicioſam vitam deſideras. quā bonaꝫ vitā
ſeu bene viuere appellas. Sꝫ erras plane. nimiꝝ voluptates ipaꝫ
vitam corpis impugnant. et bone vite que p̄cipue penes animam
attenditur repugnāt. Vis primū ſcire. Audi ſenecam. P̄t inquit no-
ſtra ꝓuidentia longiorem ꝓrogare huic corpuſculo moram ſi vo-
luptates quibus maior pars perit pōterim⁹ regere et cohercere.
ex hac autoritate argue ad ꝓpoſitum per ſenſum contrarium. Vis
autem et reliquum ſcire. Audi tullianam ſententiaꝫ id teſtantem.
Om̄es inquit bene viuendi rōnes in virtute ſunt collocande. Non
igitur in voluptatibus. Audi et magnum patrem Auguſtinū. Ta-
le inquit bonum eſt deus vt nemini eum deſerenti bene ſit. Sꝫ nun-
quit deū deſerit hō voluptuoſe viuens. vtiqꝫ. eo em̄ deū deſerit q°
amorem dei. quippe qui manet in caritate in deo manet. et deus in
eo. Sed teſte gg. tanto vnuſquiſqꝫ a ſupno amore diſiungit. quan-
to inferius delectatur. ſ. ꝑ voluptatem. deo igitur ꝓximius ad he-
renti nihil cum voluptate. Audi rurſum ſenecam. In voluptate in-
quit nihil eſt magnificum. nihil eſt qꝺ naturam deo ꝓximam dece-
at. menbroꝝ vilium ac turpium miniſterio veniens exitus fedat.

## IIII. CONSIDERATIO.

QVarta puella ſic ait.horreres homo voluptates.ſi quid eſſent
ꝑfecte ſcires. Ecce em̄ ſpine ſunt. Sūt et arma dyaboli. Quip
pe ꝙ ſpine ſint que verbū dei ſuffocant.teſtat᷑ ſaluator in euāgeͦ.
dum em̄ ſunt ſic animam ſauciant.vt verbi dei capacē eſſe minus ſi
nant. Porro ꝙ ſint arma dyaboli.hoc papalis ep̄la nobis inſinu=
at. Ociositas inq̄t et voluptas arma ſūt antiq̄ hoſtiſ ad miſeraſ ani
mas capiendas. Ecce capiendas inquit.q̄d intellige.vl̄ ad mortē.
vel ad ſpūalium bonoꝝ.et internorum dep̄datōnem nō mediocrē.
Dicente quantū ad hoc magno patre. Si habet animus vnd̄ oble=
ctetur intrinſecus. ſine delicijs manet interius. ꝓpter q̄d et pater
clareuallis. Effuſus inquit animus ex̄ ſe damna interiora non ſen
tit. q2 nec intus eſt ipe. ſed in ventre forſitā.vel ſub ventre. at vo
cum in ſeip̄am animam redierit: cognoſcet ꝙ crudeliter miſera ſe=
metip̄am euiſcerauerit. Hec p̄r ille. Qua in re penſandum.ꝙ anima
vel in mortem ꝓp̄am.vel in internoꝝ ſuoꝝ damnoſam euiſceratōꝫ
et dep̄datōnem ſuoꝝ ſpūalium antiqui hoſtis armis vtitur.q̄ prius
papalis ep̄la ociositatem et voluptatem nominauit. Sed cur in ea
ociositas ꝑmittitur voluptati? Hoc ꝑfecto ideo eſt.q2 ip̄a ocioſi=
tas occaſio eſt voluptatis. Nimirum in homine ocioſo hoſtis anti
quus dictam voluptatis in perniciem anime pꝛiter et corporis fabri
cat armaturam.

## V. CONSIDERATIO.

QVinta puella ſic ait homini voluptates appetēti. Si delecta=
ri queris: cur non in eis rebus q̄ multū ꝯtinēt delectatōis.et
non in eis que ꝑparum? Vis ſcire in quib9 multum? volo inq̄s. Sꝫ
queſo primus reſpondeas quid tibi videt᷑. Videtur forſan inquieſ
in lauticia epularꝫ et ceteris in quib9 vulgus delectatur. Sed tu
plane falleris tanꝙ is qui offam quereret et panē ſiccū aq̄ forinſe
cus ꝑfuſum tenuerit inueniret. Audi illuſtrem ſenecam. Hec iquit
quibus delectatur vulgus tenuem habent ac ꝑfuſoriam volupta=
tem. Itidem dico falleris. quia in rebus credis multum delectari
corpori vel anime nociturif. Auctor em̄ reꝝ ne ſapent hoies nō que
ſurſum ſunt. ſed que ſup terram. tanꝙ ſi fas eſt dicere aſtutiſſimus
nichil delectabile fecit interrenis.quin l̄ eſſet anime vl̄ corpori.aut
vtriqꝫ nocituꝝ. atqꝫ ideo formidandum. cuius horror delectatōi
admixtus non ſinit ipſam eſſe multam p̄ſertim extenſiue.et maxime
apud catholicos. cum etiam homo nō fidelis prauos dicat reple
ri penitudine et mox triſtari prius delectati ſunt. Repleri vero pe=
nitudine. et delectari. non ſtant ſimul. Demum penitudo vicia re=
ſpicit virtutibus oppoſita.et ſi multuꝫ queris delectari. viſqꝫ ſcire
in quibus magis. Nota gregoriuꝫ hoc egregio ſuo teſtimonio de=
clarantem. abſit inquit vt tanta ſit delectatio in vitijs.quanta eſt
in virtutibus.

## VI. CONSIDERATIO.

SExta puella ad hoīeꝫ voluptates appetentem ſic loquit᷑. Elige homo quod vis. aut voluptatibꝰ libere vti. aut a voluptatibus reſtringi. Dices forte reſtringi nolo. certe in hoc opandꝰ es iumento inſipienti et ſimilis illi. Nempe ſi licentia tibi conceditᷣ atqꝫ optunitas libere voluptatibus pfruendi. nō eſt ſignum in bonum. ſed ſimilis eris vitulo mactando. et ſignū habes ꝑpetue mortis e uicino. Nōne docꝫ hoc gregorij egregia quedam hominis ad vitulum opatō. ſub cuius vituli typo de hoīe voluptuoſo loqueſ. Vitulus inquit mactandꝰ liber ad debitam mortem currēs. effrenatis voluptatibus vtitur. qꝛ et vitili qui mactādi ſunt in liberis relinquunt᷑ paſcuis. Iuſtus a delectatōnis tranſitorie iocunditate reſtringit᷑. qꝛ etiā nimiꝝ vitulus ad laboris vſum deputatus ſub iugo retinet᷑. Hec ille egregius pater. q̄ mortē exprimit. ad quā in ſimilitudinē vituli comedētis fenū paſcuale effrenate voluptuoſus damnatur. Sꝫ licet ſubiungat iuſtꝰ a delectatōnis tranſitorie iocunditate reſtringit᷑. tn̄ non exprimit quid inde boni ꝯſequatur. Cur hoc. forte qꝛ aliūde ſatis notū eſt etiā hijs qui foris ſunt illuſtri ſeneca de hoc loquēte Si vis inq̄t in ꝑpetua voluptate eſſe nō voluptatibꝰ adiciendum. ſed cupiditatibus detrahendum.

## VII. CONSIDERATIO.

SEptima puella ad hominem voluptatū carentia ꝯtriſtatum ſic ait. Tu negligis manna abſconditum diuinaꝝ conſolationuꝫ omnis ſuauitatis habens delectamentū. cuius etiā in hoc mortali corpe poſſes ꝯſequi vel guſtū. ſi non ꝑ̄eligeres et diligeres carnales voluptates non habentes ſolidum delectamtum. ſꝫ amaruꝫ finaliter lamētum. ꝓpter qd̓ qꝛ carnales ſunt. ideo carnibꝰ opantur. et qꝛ rudibus placent. Ideo groſſis eſculētis minus delicatis denotantur. quia vero finaliter amarum ſequitur eas lamentum. Ideo per cepas que lacrimas educunt ab oculis deſignātur. et vtētes eis tanꝙ̄ puerſi ſeu puerſum habentes appetitum vituperantur. quod per gregoriuꝫ tanꝙ̄ in figura egregie edocetur. Filij inquit iſrahel māna deſerētes cū peponibꝰ et carnibꝰ. porros. cepaſqꝫ q̄ſierunt. qꝛ videlicet puerſe mentes gr̄e dona deſpiciunt ꝓ carnalibus voluptatibus laborioſa huius vite inania lacrimis plena cōcupiſcunt. Hec gregoriꝰ.

## VIII. CONSIDERATIO.

OCtaua puella ad hominē ſup voluptatū carentia ꝯſolandū ſic ait. In primo eſt vt diſcas voluptates eſſe delectatōes ſeu cōſolatōes caducas. Sꝫ et hoc ex ſupiꝰ dictis patet. Nōne aūt caducis delectatōibus bonū ē carere. Eſt vtiqꝫ. Siquideꝫ hee caducum morbū inducūt anime. et tandē etiā corpi. cadentibꝰ ipis ob caſū peccati in ignē inferni. Quid ni caducū morbū inducāt caduce exiſtētes. nēꝑpe cū ſancto ſanctꝰ eris. et cū pfecto pfectꝰ. Quid igitur ſi etiā pari mō. cū infecto infectꝰ eris. et cū caduco caducꝰ.

## NONA·CONSIDERATIO·

NOna puella ad ſepedictum hominem ſic ait· merito nullꝰ tri-
ſtari. quinimmo potius gaudere debet quilibet ſi deſolatõibꝰ
ꝯſolatõnem ſanctam· ſi vanis verã· ſi caducis eternã· ſi ꝑmis ſum-
mam ꝯſolatõeȝ· ſi minutiſſimis torrenteȝ voluptatis· ſi cinere cele-
ſtem dulcedieȝ· ſi veneno diuinum balſamũ· ſi illecebris cariſma-
ta ſpũs· ſi deniqȝ tenebris lucẽ excludentibꝰ careat· Sȝ quid· Pro
fecto heccine ſunt ꝯſolatões. delectatões. et voluptates mũdane
Ita eſt plene· Audi illum clereuallẽſem dulciſſimũ· Vndiqȝ inquit
ſe ingerit amor mundi cum ꝯſolatõnibus· immo deſolatõibꝰ ſuis·
obſeruat aditus· ꝑ feneſtras irruit· mentem occupat· ſȝ non eius q̄
dixit rẽnuit ꝯſolari anima mea· memor fui dei· et delectatus ſum·
ꝑoccupatum nẽpe ſecularibus deſiderijs animũ delectatõ ſancta
declinet· miſceri non poterũt vera vanis· eterna caducis· ſpũalia
corꝑalibus· ſumma ꝑmis· vt ꝑiter ſapias que ſurſum ſunt et q̄ ſuꝑ
terram· Vnde et benigniſſimꝰ ille magiſter ait· Rogabo patrem et
alium paclitum dabit vobis ſpm̄ veritatis· qui maneat vobiſcum i
eternum· Audiat qui huic ſterquilinio ſemꝑ inheret· qui carneȝ fo
uet· in carne ſeminat· carnem ſapit· nichiloĩꝰ ꝯſolatõnem ſuperne
viſitatõnis illum torrentẽ voluptatis· illã ſaꝑe grãm ſpũs vehemẽ
tis· qua vt veritas ip̃a teſtatur· nec cum ip̃a quidem verbi carne ꝑ
cipe vllatenus apoſtoli meruerunt· Errat omnino ſiq̄s illã celeſtẽ
dulcedinem huic cineri diuinum illud balſamũ huic veneno· cari-
ſmata illa ſpũs miſceri poſſe huiõi illecebris arbitratur· nulla cõ-
uentõ veritati et vanitati· luci et tenebris· ſpũi et carni· igni et te-
piditati· Sed dum illa moratur· inquies ſine aliqua ꝯſolatõne eſſe
non poſſum· immo vere ſi moram fecerit· expecta eum· q̄r veniet et
non tardabit· Apoſtoli decem dies in hac expectatõe ſederũt pſe-
uerantes vnanimiter in orõne cum mulieribꝰ et maria matre iħu·
cui nos gratie pro noſtre exiguitatis modulo prepãtes exinanire
per omnia noſmetipſos et a delectatõnibꝰ miſeris et caducis ꝯſo
lationibus euacuare ſtudeamus dilectiſſimi corda noſtra· Nec il-
le pater·

## X·CONSIDERATIO·

DEcima puella ſic ait ad hominem antedictum· Cur de carẽtia
turbaris terrene voluptatis· cuius copiam ſi haberes diui-
narum viſitatõnum inopiam incurreres. ac a deo tanq̄ tepidus et
abhominabilis euomendus eſſes· Audi patrem clareuallis· Amãt
inquit in carne ſua terrenas conſolaciunculas· ſiue in verbo· ſiue
in ſigno· ſiue in facto· ſiue in aliquo alio· et ſi hec interrumpunt
aliñ· non tamen penitus rumpunt· Inde eſt q̄ raro affectões ſuas

dirigunt in deum · et eoꝝ ꝯpunctō non ꝯtinua · ſed horaria eſt · Im
pleri autem viſitationibus domini anima que hijs diſtractioni=
bus ſubiacet non poteſt · · et quanto magis illis euacuabitur · tan
to amplius iſtis implebitur · ſi multum · multum · ſi parum · parum ·
vel forte ſi magis probas · nunꝙ̄ iſte illis miſceri poterunt · nō em̄
ſpūs et caro · ignis et tepiditas · in vno domicilio ꝯmorantur . p̄ſer
tim cum tepiditas ipī dn̄o ſoleat vomitum ꝓuocare ·

## XI · CONSIDERATIO ·

Undecima puella ad antedictum homīꝫ ſic ait · Si nō mouent
theologica . moueant te ł philoſophica ad gaudendū magis
ꝙ̄ dolendum de carentia corꝑaliuꝫ voluptatū · Ecce em̄ quid dicit
princeps philoſophoꝝ areſtotiles vir gentilis . qui ī articulo mor
tis ꝯſtitutus ꝯgregatis circa ſe alijs mundi ſapientibus ſuis diſci
pulis locutus eſt in hec verba · qn̄ homo dominatur voluptatibuſ
ſuis . et cohercet naturam ſuam horrendo oblectamēta corꝑis que
immundant ipām · ſed inquirit delicias anime in addiſcendo ſcien=
tiaſ dei . et intelligit ſecreta ſua · tunc apti ſunt oculi anime . et deli
ciantur multum . et delectabitur delectatione diſſimili delecta=
tionibus corꝑis · quia omnes ille tenebre corꝑis finiuntur et ter=
minantur in nichilum . et deſtruunt ſubſtantiam ſuaꝫ et faciūt ipm̄
deſcendere ad interitum · hec ille · et quid adhuc egemus teſtibus .
ecce ab hijs qui foris ſunt ꝯtra te teſtimonium ꝓhibetur ·

Capitulū ſecundū ꝯtinēs ꝯſolatōes ſuꝑ carentia deliciaꝝ ſen
ſibilium ſeu voluptatum ſecundū ſenſus ſeu potentias ſenſitiuas ·

Secundo poſt p̄miſſa dominam cōſolatricem adijt tri=
ſtis alius de ſenſibilium deliciaꝝ ſeu voluptatuꝫ ca
rentia ꝑturbatus · cui ipā ꝓ ipſius conſolatōne mox
duas de ſuis puellis adiunxit ·

## I · CONSIDERATIO ·

Prima igitur puella ad hominem illum ſic ait · Profecto quā=
to magis ſenſus ſeu ſenſitiuas potentias dum ꝑegrinamur in
corꝑe delicijs curamus deficere · tanto illa ſuꝑior naturaqꝫ ipāꝝ
domina ꝯſtituta mens humana famelica magis relinquitur ſuis ī
ternis refectōnibus a deo ꝓmiſſis deſtituta · Nempe celeſtis ꝑatriſ
familias diſpenſator ꝓmptuaria cuius plena · cuius cella vinaria
abundat in conuiuium vindemie defecate populo dei exhibenduꝫ
qui in celis diſponit nobis menſam vt edamus et bibamus ſuꝑ mē
ſam eius · etiam hic nequaꝙ̄ volens dimittere nos ieiunos ne defi
ciamus in via . ſic alloquitur dulciter viatores · Venite inq̄t ad me
qui laboratis et onerati eſtis et ego reficiam vos · Nimiruꝫ mente
refici ſi volumꝰ appropinquemꝰ ei neceſſe eſt · Ipē nāqꝫ dꝫ paſcha
noſtrum · Ab eius aūt interno refectorio vtpote in clauſtro anime
ꝯſtituto · diſtamus remotius duꝫ non ſine multiplcibus peccatoꝝ

oneribus et curaꝝ laboribus extra clauſtrū ad curias ſenſuū ani=
malium nos cōferimus. curantes illic exquiſita deliciaꝝ pabula
ipis animalibus ſenſibꝰ tanꝙ viliſſimis animalibꝰ et ſuillis vili=
bus miniſtrare. Quo fit ꝓfecto ꝙ cum animalis homo q̄ ſunt ſpūs
nō ꝑcipiat a ſpūali refectōne neduz ieiunaz relinquimꝰ. verū etiā
impie famelicā eſſe facimꝰ mentē internā quā tāꝙ ſpōſam pulcer=
rimam conſortem ſimilem ſibi habere voluit. immo et creauit ſecūd
ſuam ymaginem ipe deꝰ. verum ſi quod tolerabiliꝰ videt conſidere
mus ſenſitiuas potētias eſſe pediſſeqs tanti regis ſponſe de regno
anime. cui p̄eſſe dinoſcitur iure nature. in reginam celi aſſumpte.
nunquit error excuſabitur antedictꝰ. Profecto mime. Quid em̄ eſt
hoc. eā q̄ intꝰ eſt regiam egredi et reginam tantā famelicam relin
quere et foriſecas corꝑaliū organoꝝ officinas colere et inibi pe
diſſequis ignobilibꝰ deliciaꝝ ꝯuiuia p̄pare

## II. CONSIDERATIO.

SEcūda puella ad p̄dictum hoiez triſtez ſic ait. Homo ſimplex
Senecam audi venerabilem tanꝙ tibi loquentem atqz ſeſe q̄ſi
apud te excuſantem. Exiſtimas inquit me detrahere tibi mltas vo
luptates qui fortuitu ſubmoueo. qui ſpeciei dulciſſima oblectamē
ta cenſeo deuitāda. immo ꝯtra. volo tibi nunꝙ deeſſe leticiā. hec
ille. quaſi dicat. hoc te habere volo ꝙ non ſupatur vllo oblectam̄
to voluptatis teſte filio ſyrach. non eſt inquit oblectamentuz ſup
cordis gaudium. Tu ergo habeto et me atqz ſororem meam prius
locutam hac in parte excuſatas. que delectatōes non damnamus.
ſed mutamus vt ibi habeantur et querantur. vbi ſanctius et hone
ſtius poſſidentur. Vbi inquies. Certe non apud ſenſus hominis q̄
proni ſunt in malum ab adoleſcentia ſua, donec abſcedat quod ex
pte eſt, et ſuccedat quod ꝑfectum eſt. apud vtrunqz hominem illo
ſcilicet in ſtatu in quo nec ſenſibiles delicie ſunt ſuſpecte. Interim
aūt vnam cuz patre clareuallis tibi ſic dicimus. Delectatōes non
ꝓdimus. ſed mutamus a corpore ad animam. a ſenſibus ad conſci=
entiam. hec bernhardus.

## Capitulum tercium continēs conſolatōnes ſuꝑ carentia vene= reoꝝ ſeu veneree voluptatis, ſiue ſuꝑ abſtinentia a delicatōibus luxurie.

TErcio poſt premiſſa domine conſolatrici triſtis alius
de veneree voluptatis carentia eſt conqueſtus. que
mox ei ſex de puellis ſuis pro eius conſolatione aſſi=
gnauit.

## I. CONSIDERATIO.

PRima itaqz puella triſtem ſic alloquitur. videtur ꝙ tu hō qui
luxurianti carni ſatiſfacere appetis ſimilis ſis viti que in fo=
lia, vel in lignum luxuriatur. que quatenꝰ vberiorez ꝓferat fructū
ꝑ putatōez purgari ſolz. te quoqz neceſſe ē purgari ꝑ amputatōem

luxurioſe voluptatis. ſi fructū ꝓferre deſideras honoris et hone-
ſtatis. et nōne fructus honoris et honeſtatis quibus inter tēꝑalia
nihil eſt melius. merito plus ſape debꝫ ꝙ̄ feda voluptas carniſ fe-
tens et abhoīabilis corpis et anime corruptō inductiua infamie
et deſtructiua honoris. Dices forte quō honoris ſi non ſit res no-
ta alijs. ſed plane in hoc erras. nonne nota eſt cordis tui infectio
principibus populoꝝ cum deo abrahaꝫ congregatis. immo et ipi
deo principaliter et ſuis angelis. Nonne igitur ſunt qui facta tua
ſciunt et intuitiue intelligunt et ſentiunt nulla diſtantia impediē-
te. ꝓut ſupra ꝑ ſodalem meam eſt deductum.

## II. CONSIDERATIO.

Secunda puella. non ſine verecundia ſe loqui aſſerens. ad pre-
dictum ait. Nunquid ꝓphās legiſti. vl̄ naum ſolum. et corruēt
inquit. vel ſcd̄m. lxx. infirmabuntur in corpibus ſuis ꝓpter multi-
tudinem fornicatōnum mulieris ſpecioſe et grate. Ratio ſcd̄m me-
dicos videtur eſſe. quia ꝯplexio ſemis eſt calida et humida. gene-
ratur eñ ex claro et puro ſanguine quo et principalia et ꝓpria pa-
ſcuntur ac ſuſtentantur menbra. Vnde cū in eius euacuatōne quis
modum tranſgreditur non ſupeſt ſanguis quo paſcant̄. Ideoq; vir-
tus hominis debilitatur. corpus deſiccatur. et defectꝰ ſequitur.
Addit quoqꝫ galienus. Non inquit ꝓcedit a mēbris ſolus humor.
ſed etiā ſpūs vitalis ꝑ arterias exit cum ſemine Ideoqꝫ nō eſt mirꝝ
ſi venerce voluptati deditus debilitatur. qꝛ duꝫ corpuſ euacuatur.
vitalis quoqꝫ virtꝰ minuitur. Vnde etiā mlti mortui ſunt ob hoc.
etiam ſcd̄m Galieñ diutiꝰ eunuchi viuunt.

## III. CONSIDERATIO.

Tercia puella ad hoīeꝫ de carentia venereoꝝ turbatuꝫ ſic ait.
Cur hac occaſione turbaris. q̄ quidem carentia humani inte-
generis ꝯſeruat dignitatem. Nunꝙ̄ audiſti principem phoꝝ dixiſ-
ſe. ꝙ delectationes ſecundum tactum faciunt hominem brutalem
ſeu beſtialem. Quo pacto forſan inquies. Profecto ſecundum illū
venerabilem aquinenſem. beſtie rōne carēt. vñ ſcd̄m hoc homo in
coitu beſtialis efficit̄. ꝙ delectatōnē coitꝰ et feruorēm ꝯcupiſcen-
tie rōne moderari nō poteſt. Rurſum ſcd̄m eundē nūc in via ī ſtatu
nature lapſe tales delectatōes que habētur cum vehemētia paſſio-
nis et animi inquietudine. eo ꝙ nō ꝯtinue regulantur ſcd̄m ratio-
nem etiam humanā. ſꝫ excedunt regulam rōnis. et ſuo exceſſu ipam
rōnem abſorbent. Ideo faciunt hominem brutalem. Nonne igitur
ſane mentis homini ne tali effectu miſerabili ab humani generis
dignitate turpiter degenerꝫ ꝯ̄ cauſe ipiꝰ effectu. id eſt venereoꝝ
carentia merito eſt gaudendū potius ꝙ̄ dolendum.

## IIII. CONSIDERATIO.

Quarta puella ꝑdicte tercie tanꝙ̄ ꝓpinque ſue ꝯcordās ſic ad

triſtem loquitur ·cur de eius rei carentia triſtaris.ꝙ ſi eo non ca:
reres tam quo ad ſpm̄ naturalem humanum·ꝙ̄ quo ad ſpm̄ diuinū
notabiliter impeditus eſſes·Vis ſcire ꝺ impedimēto ſpūs humani·
vl' quantū ad actum intelligendi·Audi illuſtriuꝫ teſtimonia·Non
ne em̄ princeps phoꝝ ariſtotiles illuſtris fuit·Nōne et magnus
pater auguſ eſt illuſtris·et quid dicunt iſti·Ecce dicit ariſtotiles
ꝙ in delectatōe venereoꝝ nullꝰ poteſt aliquid ītelligere·magnꝰ
aūt pater et ꝺ delectatōe venerea loquēs dicit·ꝙ ipō momēto tpis
quo ad eius ꝑuenitᷓ extremum pene omnis acies· et quaſi vigilia
cogitatōnis obruitur·Vis rurſum ſcire de impedimēto quod homo
patitur quātum ad ſpm̄ diuinum·Ecce delectatō venerea adeo na:
ta eſt impedire preſentiā ſpūſſancti ꝙ dicit illuſtris vir Ieronimus
ꝙ illo tēpe quo ꝯiugales actus geruntur preſentia ſpūſſancti non
dabitur·etiam ſi ꝓpheta eſſe videatur qui officio generatōnis ob
ſequitur·

## V·CONSIDERATIO·

QVinta puella ad prefatum triſtem ſic ait·Cur de carentia eius
rei moleſtaris ·et non potius rem illam moleſtaris·quā et mū
di ſapientes p̄cipui deteſtantᷓ·Audi illum areſtotilē in ſignem in
mortis articulo voce veridica de carnis illecebris et actibꝰ turpi
bus·et de illis qui talibꝰ vacant ꝓteſtanteꝫ·ſicqꝫ inquientē·Qui
inquit multū vtitur voluptate venerea inueterat corpus ſuum· et
ſubſtantiam ſuā macilentat·et ſapiens qui deſpexit et odiuit omnes
hm̄ōi ſupple delectatōnes que ſunt deſpecte et viles exultare de:
buit in tpe quo aīma ſua appropinquauit creatori ſuo·quia nō ti:
met appropinquare ſe ipi ·nec inuenit ꝯtradictorē.nec repulſorē·
ſicut anime que ſecute ſunt vanitates·ſequitᷓ·circa fineꝫ beata eſt
anima que nō eſt infecta prauis opibuſ huius mundi.et intellexit
creatorem ſuum.ipſa eſt que reuertitur in locum ſuum in delicijs
magnis·non cum delectationibus corpis que ſunt deſpecte·et ve
anime peccatrici que non habet virtuteꝫ nec poſſe redeundi ad lo
cum ſuum·nec poteſt aſcendere in patriam ſuam·qꝛ turpia opa de
lectatōis corpis ipediūt aſcenſum eiꝰ ſurſum ·Hec ille vir gētilis
Sꝫ et tulius ille refert ꝙ archita tarentinus cū eius ſermoni plato
atheniēſis eiꝰ adiutor intereſſꝫ nullā capitaliorē peſtē ꝙ̄ volupta
tem corpis dicebat hominibꝰ a natura datā·cunqꝫ nil p̄ſtabilius
mēte deꝰ dediſſꝫ huic diuino muneri.nichil tā inimicū eſſe ꝙ̄ volu
ptatē·nemini cēſebat fore dubium quin ꝙ̄diu voluptate gauderꝫ
nichil agitare mente.nichil cogitatōne·nihil ratōne ꝯſequi poſſet
Hec ille·fertur quoqꝫ p̄dictus archita dixiſſe·nulla peſtis capita:
lior ꝙ̄ voluptas corpis cuius auide libidines temere et effrenate
ad patiendum incitantur·hinc patrie ꝓditōnes·hinc reꝝ publica
rum euerſiones·nullū deniqꝫ ſcelꝰ.nullum facinꝰ eſt ad quod ſu:
ſcipiendum non libido voluptatis impellat·

## ❡ VI. CONSIDERATIO.

Sexta puella ad p̄fatum ſic ait. Neſcis qm̄ dictum eſt hominibuſ templum dn̄i ſanctum eſt quod eſtis vos. Sꝫ quod peccatum maius eſſe poſſet ꝙ̄ quo polluitur templū dei ſanctū vł̄ i baptiſmo ſanctificatum. quod quidē fit ꝑ actum venereū Hoc em̄ actu vno exiſtente duplex ſimul polluitur templum. in viro. ſ. et in muliere. immo cum templi dei appellatōne non ſolum mens cui conuenit principaliter. ſed et corp⁹ continetur. ſequitur vno fornicatōnis actu cui ꝯſenſuſ adeſt ꝑſone vtriuſqꝫ ſimul quatuor tēpla prophanari pollui et confundi. Cuius peccati magnitudinē ꝯſiderās yſidorus. Inter cetera inquit. vij. vitia fornicatō maximū ſcel⁹ ē. quia ꝑ carnis immundiciam templū dei violat templum. ſ. inferi⁹ et ſuꝑius. que alterutrum ſibi ſuam ꝯmunicant feditatem. que ab vno in alterum deriuatur.

❡ Capitulum quartum continēs conſolatōnes ſuꝑ abſtīentia ab oſculis et amplexibuſ et a voluptuoſa ſeu libidinoſa perſonaꝝ dilectarum ꝯtrectatione.

Quarto poſt p̄miſſa quidem ꝓpter abſtinentiā ab oſculis et amplexibus et voluptuoſa ꝑſonaꝝ dilectaruꝫ ꝯtrectatōne cōtriſtat⁹ dominam conſolatricem adijt ſperās apud eam ꝯſolatōnem inuenire. At illa eideꝫ mox de puellis ſuis duas adiunxit impans vt ipſum ꝯſolet᷑.

## ❡ I. CONSIDERATIO.

Prima itaqꝫ puella ipm̄ triſtē alloquit᷑ ꝑ hunc modū. Cū inq̄t tangentia ſint quoꝝ vltima ſunt ſimł. et cū dicti tact⁹ mediū faciant inter hoīeꝫ et deū. ſequit᷑ quidē ad tales tact⁹ ꝙ neceſſe ē carere tactu quodā diuino multo ſuauiori. de q° loq̄t᷑ regularis ille de arra anime. Queſo inquit quid eſt illud dulce qd̄ in eius recordatōne alī me tangere ſolet. et quaſi quibuſdā amplexib⁹ amoris intus teneo. ꝛc̄. Sꝫ dicti medij ſublatō via eſt ad cōiunctōnem extremoꝝ. ſublato em̄ medio ꝓculdubio ꝯiunguntur extrema. q̄ppe hoc mīme fallit reſpectu illius extremi cuius hec ſunt verba. Delicie mee eſſe cum filijs hominum. ſequitur ergo tactus ille ſecundus internus qui tam dulcis ꝓpter qꝫ cum ſit vehementius ad delectatōnem mouens ꝙ̄ tactus alter. Interroga expertum et ſentiet quod dico. nulla erit ratio quare de predicti imūdi tactus carentia quis turbetur. Eſt aūt et de oſculis ſpālis ratio. q̄s em̄ ł mediocriter mūdus. os quod cerneret inquinatuꝫ cuꝑet oſculari. habet auteꝫ et ſponſus anime oſcula que prebeat. Oſculetur me inq̄t ſponſa oſculo oris ſui. Vtiqꝫ os mundiſſimū eſſe conſtat. ecōtra libidinoſum oſculum os immundum reddit deoſculantis pariter et deoſculati. An non libido ſordida eſt atqꝫ commaculat. Nonne etiam olet. igitur illa oſculum excludit oris mundiſſimi odore ſuauiſſimo redolentis. ſpirat ſiquidem os diuinum odorem balſami.

Nam et illa que ꝓceſſiſſe ſeſe ex ore altiſſimi gloriatur. ſicut inquit
cynamomum et balſamum aromantizās odorē dedi. et quaſi mir=
ra electa dedi ſuauitatem odoris. Igitur ne mundiſſimi oris altiſſi
mi tam ſuauiter redolentis deſiderabili oſculo quis priuet͛. expe=
dit et neceſſe eſt vt illo oſculo careat quod ex libidine ꝓuenit. vel
quod ad libidinē terminatur.

## II. CONSIDERATIO.

SEcunda puella animaduertens multos eſſe quos p̄miſſū genꝰ
triſticie 𝔬turbat. ad oēs ſimul ſermonē dirigens ita ait. Qui
qꝫ filij hominum cur videntes filias hominum ꝙ ſint pulcre. mox
eaꝝ delectari queritis in amplexu. aut alio quouis tactu. O ſtulti
nolite hoc appetere. non expedit quidem. Quis em̄ tam inſanuſ q̄
ſi ydolū aliqđ ꝓſpiceret pulcꝝ facie. ſ; p oīe corpꝰ alibi a ſpiri=
tu et ſpinoſum. eius nihilōꝰ rueret in amplexum. Quid vero de fi=
liabus hominum eſtimatis. pulcras attenditis. Sed queſo vbi pul
critudo poterit hec diſcerni. Num alibi ꝙ̄ in facie. Forte nec in fa=
cie. nam ſpina in oculo deformat faciem. Ille vero quas pulcras
dicitis tanꝙ̄ ſtulti ſecundum faciem iudicantes. id eſt ſuꝑficiē at
tendentes. que ꝓinde non ſunt ſpine in oculis veſtris. non modo
in ſuis oculis habent ſpinas. ſ; tota ī facie. atqꝫ p oīe corpꝰ vera
citer ſunt ſpinoſe. Audite queſo canticum ſponſi ſponſam ſuā vni=
cam filiabus hominum tanꝙ̄ eis ꝓrſus diſſimilem 𝔬pantis. Sicut
inquit lilium inter ſpinas. ſic amica mea inter filias. Quod verbū
ſane ſub hoc accipite intellectu. Videlicꝫ non ꝙ q̄libet vna ſpina.
ſed ꝙ inſtar ericij vnaqueqꝫ totaliter ſit ſpīoſa. aculeis plena. Ita
quidē vt omni ex pte qua tangitur illic pungens ſpina ſeu acule=
us non modo inueniatur. verum potius ipſius tangentis aīe ſau
ciande infigetur. Si tangis manum ſpinam infiget. Si os ore te=
tigeris vtrūqꝫ labium ſpinaꝝ barba affliget. et breuiter non ē ps
in corpe que attacta medullis cordis attingentis ſpinaꝝ aculeoſ
non imprimat. Quapropter eo ſane tempe quo nondum fuerit tem
pus amplexandi. ſed longe fieri ab amplexibus. quo nec tempꝰ eſt
tangendi. quemadmodum felicis meriti marie dixit ſaluator. noli
me tangere. nondum enim aſcendi ad patrem meum. huiōi inꝙ̄ tē
pe dicat et quilibet vir ſapiens. filie babilonis miſere. noli me tā
gere. Suo nanqꝫ libidinoſo 𝔬plexu. q̄̄ꝫ contingit. q̄̄ꝫ deoſculatur.
q̄̄ꝫ ve manibus contrectat. ac a quo contrectatur. ſpinis impreſſis
vulnerat. cruentumqꝫ relinquit in ſuo ſanguine. vel dicam potius
in ſanguinibus peccatorum miſerabiliter volutandum. Que nam
forte quis inquiet ſunt iſte ſpine. Profecto horride ſpine ſunt car=
nalia deſideria. deſidioſam animam vulnerātia. a qualibus ſpinis
cauere nos ammonet princeps ipſe apoſtolorum. Obſecro inquit
vos abſtinere a carnalibus deſiderijs q̄ militant aduerſus animā.

Verum ſi quempiam deſideria iſta tanq̄ ſpine non ſatis videantur
affligere · p̄ ſpinas poterit accipe diroſ aculeos pungentis conſci,
entie · carnis delectatōnes auide concupitas ſui remorſus contra:
rietate non modo vincentis · verum etiam quantotius atq; acutiuſ
vindicantis · Voluptas enim quo auidius hauſta eſt, citius in con:
trarium recidit · vt ait ille illuſtris ſeneca · Gaudere igitur magis
oportuit q̄ dolere de abſtinentia omnis voluptuoſi cōtactus, qui
poſt fedam delectatōnem breui durantem · cor reddit ſaucium ſuis
aculeis pungitiuis. qui infixi ꝓfundius e corde educi nequeunt ·
priuſq̄ homo proprij oris confeſſione confuſionem notabilem pa,
tiatur ·

## ¶ Capitulum quītum continēs conſolationes ſup̄ carentia volu,
## ptuoſe contrectatōnis, ſpāliter manuum p̄ſone dilecte ·

QVinto poſt premiſſa acceſſit ad venerabilem dominā
cōſolatricem etiam alius quidam triſtis conquerēdo
q̄ non poſſet manus perſone ſibi dilecte contractare.
cui illa de ſuis puellis mox duas pro ipſo conſolan:
do aſſignauit ·

### ¶ I · CONSIDERATIO ·

PRima itaq; puella p̄dictum fatuum ſic eſt aggreſſa · Ecce inq̄t
quid ex cythera ſimphonici illi⁹ cytharede diuinis auribus
inſonuerit · Tenuiſti inquit manum dexteram meam · et in volūtate
tua deduxiſti me · et cum gloria ſuſcepiſti me · Hanc manum quam
tenere dignatur de⁹ qualē eſſe putatis vos carnis amatores · Pro,
fecto amator lyliorꝝ deus ſuis diuinis manib⁹ haſ manus digna,
tur tenere · hijs q; manibus poſt ſe ſponſā trahere in gloria collo,
candam · que quidem man⁹ lilia quedā ſunt, vtpote quib⁹ ineſt cā:
dor delectabilis liliorꝝ · nō certe man⁹ ſanguinolētas ſpurciſſimo
ſanguine plenas · Forte dices que nā ſunt iſte · Reuera huiuſcemo:
di ſunt manus voluptuoſe, immo libidinoſe ↄtrectate · Nimirꝝ ī il:
lis ſanguis verus in venis decurrēs ↄtrectatōe aduocatur, ac ibi
etiā multiplicatur · Nam ſiquidem ſingulis menbris dū patiunt̄ p̄,
ſidio vult eſſe p̄ ſanguinis miſſionē · q; etſi modica pellicula mor:
talium occultet ab oculis · iſte tn̄ ſanguis abhominabile libidinis
inſtrum̄tū p̄ſpicue cernitur · oculorꝝ intuitu diuinorꝝ · quippe vi:
rum ſanguinum et doloſum abhoiabitur dn̄s · nec abhominaretur
niſi ↄgnitū · Hautdubiū igitur quin et man⁹ huiōi doloſis plenas
ſanguinib⁹ ↄgnoſcat et abhomietur · In quarꝝ ſiquidē phiſionōia
celeſtis phiſiologus certiſſime deprehendit virum ſanguinum et
doloſum ſibi abhominnbilem et exoſum · Sunt autem manus iſte
rurſum plene ſanguibus · id eſt peccatis de quibus pſalmigrah⁹ ·

Libera me inquit de ſanguinibus. Nam et vulgares nonnunꝙ ali
ques appellant ſanguinolentos peccatores. Quid igitur miri ſi et
manus ille peccatrices dicantur eſſe penitus ſanguinolente, que ſi
ꝓ cuiuſuis rei impetratōne ſubleuent᷑ ad deum. quid aliud putas
eas niſi diuinoꝝ oculoꝝ auerſionem poſſe melius impetrare. Ne
pe vt ait cecus ille olim illuminatus. peccatores deus nō audit.
ſcilicet quantū eſt ex eoꝝ meritis. Hoc itaq; lucrum habet perſo
na queuis de manuum ſuaꝝ voluptuoſa ꝯtrectatōe, ꝙ nec digne
ſunt ad celum ſubleuari ꝓ gratie impetratione. econtra autem is
qui caret voluptuoſa manuū ſuaꝝ ꝯtrectatōe. eo magis gaudeat
quo ex hoc audet manus ſuas ad deū ſurſum eleuare ſub ſpe gra-
tie recipiende.

## II. CONSIDERATIO.

Secunda puella p̄memoratum fatuum ſic eſt allocuta. Neſcis
ꝙ manuū libidinoſa ꝯtrectatō ē q̄ſi cere mollificatō ad ipſiꝰ
qui mollificat impſſionem ymaginis. excluſa pfecta ymagine tri-
nitatis. Cuius cere inquies. Profecto illius de qua diuinus ille
ſimphonides teſtatur dicēs. factum eſt coꝛ meum tanꝙ cera lique
ſcens. Quō inquies ad huius cere mollificatōnem manuum cōtre-
ctatio ſe extenderet. manus nanq; forinſecus ſunt, et coꝛ eſt intra.
nec modico etiā coꝛ et manus diſtare vident᷑ interuallo. Sʒ huiuſ
facile eſt ꝯſequi ſolutionē queſtionis. Siquidem vene cordis ad ma
nus vſq; ptendunt᷑. qua ex re ꝯtingit ex contactu earum in mani-
bus calefacto ſanguine et illo ex cōpſſione manꝰ ad coꝛ recurrēte.
vel vicinum ſanguinem et ille alium immutante, et ſic ſucceſſiue ca
lefactione ad cordis ſanguinem ptingente. reſultat quantotius
in ipſo corde mollificationis effectus. quemadmodum qui trahe-
re ꝓponunt ſanguinem. dicunt᷑ brachiū calefacere. dum ſolas ma
nus ad ignem porrigunt immediate. vti et qui trahit cordam diſtā
tem a ſe, pulſat campanam. Sed et vere dici poſſet coꝛ quod lique
fit vti cera ab ipſis contrectatis manibꝰ non diſtare. Coꝛ ſiquidem
hoc eſt anima vel animus. non enim eſt coꝛ carneum. ſʒ anima car
nis. Porro de anima carnis dicit ille pſalmigraphꝰ. Anima mea i
manibus meis ſemp. et ſi quadā hoc ratione ſit dictum de quibuſ-
libet manibus. ſpālius tamen id dici poteſt de manibus illis q̄s
ꝯtrectatō plenas reddit ſanguinibus. Nam vt noſter tradit leuiti
cus, anima carnis in ſanguine eſt. Qui ergo nolit effemiatꝰ deflu-
ere, qui corde ſolido et non ad modum cere liqueſcente diuinam
in ſe ꝑpulcram ymaginem optet ꝯſeruare. qui turpiſſime ac ſpur-
ciſſime cuiuſuis ſigillatōnis aut ymaginis impſſioni omnem reſi-
ſtendi virtutē velit non emittere. Is neceſſe eſt abſtinere ſtudeat a
manuum tam actiua ꝙ paſſiua contrectatione. Sed dices forte. ab
ſit ꝙ omnis manuū ꝯtactus ad ꝑnicōſam reſolutōem animi termie᷑.

Abſit ne omnis ꝯtactꝰ hmōi ſit libidis incētiuꝰ. recte q̄dem dicis. Sed tactus qui eiuſmodi eſt. qui animum viri non reſoluit. qui ef‑feminatum non facit. qui incendium libidinis minime operatur. q̄ caſtꝰ vel pudicus eſt. Profecto tactus huiōi carentia quenq̄ mini‑me contriſtabit. ſed a tali quilibet facillime honeſtatis ob gratiaꝫ abſtinebit. quod ſatis ſupponit in ethicis ſuis mundi ſapiens. ¶ Si‑gnum inquit oportet facere habituū ſup uenientem voluptatem vel triſticiam. qui quidem eī recedit a corꝑalibꝰ voluptatibꝰ. et hocipſo gaudet temꝑatus. qui aūt triſtatur intemꝑatus.

## Capitulū ſextū ꝯtinēs ꝯſolatōes ſpēaliter virginū ſuper voluptuo‑ſarum carentia delectatōnum.

Sexto poſt premiſſa ad dominam cōſolatricem acceſſit etiam virgo quedā triſtis ex carentia voluptuoſe de‑lectatōis cui mox dn̄a gr̄a ꝯſolatōis ip̄endende duas deputauit de ſuis puellis.

### ¶ I. CONSIDERATIO.

